

2423

## C O D I C E S

2424

*hec appellatur de rosario. IV. quomodo proprietates rose materialis Virgini marie convenient &c. Quae ad plenam pii hujus Instituti cognitionem faciunt. Initium est: Aduertendum quod decem et maxime necessaria bona proueniunt homini &c. Et finis: iter paratum, ut videntes ihesum semper collemur Amen. Fortasse la Confrairie du Psautier de notre Dame, cujus meminit Echardus l. cit. Opusculi nostri Versio sit.*

III. fol. 91. *Incipit consolatorium timorate conscientie fratris Johannis Nider ordinis predicatorum sacre theologie professoris. Tres Partes habet utilis hic Tractatus, qui in Capita abeunt. C. I. inscribitur et incipit: Quot modis accipiatur conscientia. Primo igitur animadvertendum quod conscientia vno modo sumitur pro re conscita &c. Adjacet mihi nitidissima Editio Ulrici Gering Parisiis 1478. 8. maj. jam Signaturis instructa, et Cod. nostro vetustior, quae docet, huic et Prooemium et Tabulam deesse. Habetur tamen utrobique ingenua illa, qua semper captus sum, sub finem Autoris Confessio: Tantum de consolatione timorate conscientie dixisse sufficiat. A cuiusmodi compilatione si quisunque, quod suum est, recipere velit, nihil aut modicum auctori manebit. Memini ejus Cod. DCLXXII. et saepius. In Scriptt. Ord. celebratur T. I. p. 792. II. 822. Editionibus Consolatorii ibidem citatis addidi tres alias in meo Maithairii Supplem.*

DCXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 319 XIV. Folior. 135. f. sat probe scriptus, titulis et Summariis marginum miniatis decoratus, olimque ad Coenobium Scotorum O. S. B. Viennense pertinens continet sequentia: I. *In christi nomine Incipit liber magistri Hugonis de Claustralibus. Adjecit manus recentior: Pars prima. Quod si adeas Hugonis Victorini Opera Rotomagi 1648. impressa, T. II. p. 60. inuenies Partem hanc inscriptam esse Librum Secundum de Claustro Animae. Prologi initium est: Locuturus carissime de his que ad edificationem claustris materialis pertinent &c. operis ipsius in Capita distributi: Quoniam de ordinatione claustris materialis &c. Fol. 21. Explicit prima pars. Incipit secunda. Haec in Editis est Tertius Liber de Claustro Animae, cujus Prologus infit: Nosti carissime quod ea que de ordinatione claustris materialis &c. opus ipsum: Anime Clastrum contemplatio dicitur &c. Atque haec Pars in C. IX. dimidio iis verbis: tolle grabatum tuum et ambula, deficit. Abest itaque a Codice non tantum C. X. de Oratorio Animae, sed omnia illa Capita subsequa de Templo Salomonis, quae perperam adfuta fuisse alioqui dabit oculatus quisque. Neque aliter de iis, quae subjungam, judicabit. Sequitur nempe fol. 30. in Cod. Pars quaedam a manu recentiore Tercia dicta, in Capita diuisa, quorum titulos adscribam: Quod ypocrita in congregatione fru-*

Et

2425

A S C E T I C I

2426

*In societatis priuetur. Quod per exemplum ypocritarum multi subuertuntur. Quod ypocrita cum scientia multa polleat ipsam ad uoluntatis suae prauitatem inflectat. Quod deus qui preceptum dat adiumentum quoque sui spiritus inpendit. De misterio diuinitatis et humanitatis christi. Quod deus ypocrite auxilium non inpendat. Quod iustus bonorum societate faciat. De his qui mortui mundo sunt. Initium C. I. est: Quia ergo uidimus qualiter christus in casu fulcimentum inuenerit uideamus qualiter postmodum in sompno calefactus fuit &c. E stilo et ipsa scripturas interpretandi ratione argueret quis Gregorium M. loqui, sed neque in ejus operibus, neque in pluribus aliis, quos uolvi, *Excerpta* isthaec deprehendi; *Excerpta* enim esse, cum initium C. mox adducti, tum initia Capitum seq. ostendunt. Ita secundum incipit: *Qui enim in uita religiosa mentem huius mundi gerit.* &c. et tertium: *Quia uero ypocrite aliquando scientie multitudinem prominent* &c. Et tamen ad calcem Librarius noster subiecit: *Explicit liber domini Hugonis de claustra-**

*libus. Hugonem hunc non Victorinum esse, sed dictum de Folieto itidem Regular. Canonicum Literatores sentiunt, ut jam ad Cod. CCXLI. innui. Quod si *Excerpta* nunc recensita ad illum pertineant, inedita esse oportet.*

II. fol. 38. p. 2. sequuntur: *Sermo de quatuor debitoribus, et Sermo de Obedientia.* Leguntur in *Hugonis à S. Victore* opp. T. III. *Miscellaneor. L. I.* ubi *Titulum XX. et CLXXV. constituunt. Prioris initium: Quatuor sunt debitoribus. deus. spiritus. caro. mundus &c. Alterius: Quaedam sunt ita mala &c.*

III. fol. 39. p. 2. *Sequitur de interrogandis in hora mortis.* Ad Monachos spectat haec Formula et sic incipit: *Sic debet frater proximus morti interrogari. et sic debet Respondere. Interroga. frater letaris quod in fide christiana moreris. Respondeat. Ita &c.* Terminatur pia adhortatione. Totum depromptum ex *Anselmo Cant. Paris. 1721. p. 194. f.*

IV. fol. 40. Sententiae variae metro inclusae, quarum meliores speciminis ergo:

*Angelus ad quatuor.*

*Angelus est sathane pacisque. ministeriique.  
Consilii. prior colaphizat. et erudit alter.  
Tertius a dextris refouet. quartusque coronat.*

*Anagoge quatuor. Euangelistarum.*

*Est homo dum uiuit. bos dum moritur. leo uero  
Quando resurgit. uis quando superna petit.*

2427

## C O D I C E S

2428

Distichon istud legitur in prolixiore de Evangelistis Elegia *Hilberti Ep. Cenomanens.* edit. opp. *Paris.* 1708. col. 1318. f. non vere sequens:

*Tropologia Eorundem.*

*Trinum scribit auis. et lucas sanctificatum.  
Marcus surgentem. matheus uirgine natum.*

*Genera ignis corporei.*

*Triples corporei species nobis datur ignis.  
Terreus. ethereus metuendus thartareusque.  
Urit thartareus. nec lucet. lucet et urit  
Terreus. ethereus rutilans lucetque nec urit.*

*Reliqua commemorari vix merentur.*

V. fol. 41. De sacramento altaris post transitum iordanis et quod tria sunt instrumenta rationalis creature. Cave, putes rem esse de Eucharistia. Sacramentum Altaris Scriptori nostro allegorica Expositio est Altaris illius lapidei, quod Filii Israel *Deut. C. XXVII. v. 4.* iussi sunt post Iordanis transitum de lapidibus, quos ferrum non tetigit, erigere. Praemisso itaque hoc *Deut.* loco sic incipit: *Breue capitulum recitatione uerborum. sed ualde prolixum continencia sacramentorum nobis proponitur discutiendum. in cuius discussione quantum ipse conicere potui. subtilius indaganti. consideranda decem occurrunt. Quorum primum est. nosse que sint instrumenta quibus altare edificetur. presertim cum uniuersa prohibeantur ferramenta. Secun-*

*dum. quid significet ipsius altaris edificatio. Tercium. qui sint lapides unde edificandum est. Quartum. quid sibi uelit ferrei per eos tactus prohibicio. Quintum. quid sit holocaustum. Sextum. quid sit hostia pacifica. Septimum. que oblatio utrorumque. Octauum. quid significet fluuius iordanis. Nonum. qualiter per ipsum transeundum sit. Decimum que sit causa finalis. i. utilitas transitus eius. mox alteram Tituli partem, seu tria instrumenta rationalis creature explicat: Primum est cordis directio. Secundum corporis deiectio. Tercium uero mentis erectio. Ex his facile de Autoris methodo, operisque merito statues, quod passim verficulis inspersum est. Ita statim p. 2. legis, Apostolos quaerentes:*

*Omnibus exutos nos, et tua iussa secutos.  
Que maneat merces. dic rex qui cuncta choerces.*

Et

2429

A S C E T I C I.

2430

Et Christum respondentem:

*Ante meum vultum cum nil remanebit inultum.  
Iudicium mecum tractabitis omnibus equum.*

*Fol. 47. p. 2. metrum Boethii inferitur: Nubibus atris condita nullum &c. Fol. 80. p. 2. Paraphrasis Prophetiae Jonae occurrit, quae est Marbodi Ep. Redonens. de quo Cod. CCXCIII.*

*Uos qui nescitis. nunc discite de niniuitis.  
Discite de iona dominum fugiente propheta.  
Qualiter est mersus. aut qualiter inde reuersus &c.*

Clauditur tota Tractatio oda sapphica ad B. V. quae incipit:

*Hostis antiqui laqueis tenentur (tenemur)  
Fortiter astricti (stricti) nec adest facultas  
Ulla surgendi triplici ligatis*

*Fune reatus.*

*Corruunt uires uicis subacte  
Queque uirtutum. Sequimurque sponte  
Qua premit torpor miseros furorque*

*Prouocat acer. &c.*

De aetate Autoris ex eo aliquid conjicias, quod *fol. 49. beatum Bernardum clareuall.* citet. *Guilelmum Abb. S. Theodoric* amicū ejus de Sacramento Altaris scripsisse inuenio. Quid uero? Nemo explicat. Praetera *Guilelmus* hic ante *Bernardum* obiit.

VI. *fol. 125. Incipit proemium anselmi episcopi cantuariensis in librum qui appellatur profologyon.* Initium: *Postquam opusculum quoddam uidelicet exemplum meditandi &c.* Prologum excipit Elenchus Capitem paullo aliter diuisorum, quam in *Ed. Paris. Gerberonii*

1721. p. 29. f. Ceterum lectio proba. Ad calcem: *Explicit liber profologyon uenerabilis anselmi abbatis beccensis monasterii et post archiepiscopi cantuariensis ecclesie.* Et statim subjungitur: *Meditatio eiusdem ad excitandum timorem, quae incipit: Terret me uita mea. Namque diligenter discussa &c.* Est in *Editis p. 207. Meditatio II.* sed in *Cod.* multa e medio deficiunt. Finis iterum consonat.

VII. *fol. 133. p. 2. Septem sapientium sententiae septenis uersibus explicate in quibus ipsarum aliquid est*

2431

## C O D I C E S

2432

*est obseruatum. ut bini ultimi versus per antbetita finiantur. Sunt Hildeberti Cenomanensis, legunturque*

*in edit. supracit. col. 1336. vel potius Ausonii; sed versus 1. nobis rectius:*

*Quenam summa boni? mens que sibi conscia recti.*

quam ibi:

*Quæram summa boni? quæ mens sibi conscia recti.*

Ita et in sequentibus, quae indiscriminate sine *Sapientum* nominibus adscripta sunt, habes, unde *Ausonium Iul. Floridi Paris. 1730. 4. emendes.* Ita in *Pittaco superbus* pro *superbis*, *comparas* et *probas* pro *compara*, *proba* genuinum videtur. In *Thalète distuleris* pro *justuleris*, *Satis hoc* pro *Satis est*. Plerumque tamen *Edita* nostris praestant.

VIII. fol. 134. p. 2. Absque ulla distinctione *Ausonianis* *Sapientum* *Sententiis* adnexae sunt aliae XXIX. Distichis comprehensae, quarum Autorem inter christianos *Bibl. P. P.* Poetas non reperio. Pars prior de *Selectu* et *Convictu Amicorum* tractat hoc initio:

*Cuius uita proba est illi conuiuia iunge.  
Ne capiare cibus. et maculare (ere) gula.  
Pascuis non isdem. sues sociantur et agni.  
Nec spurcis aibus. sancta columba coit &c.*

Pars altera diversa monita complectitur et init:

*Sume libens monitus haurique salubria uerba.  
Que regimen sane sobrietatis habent.  
Rumigera (Rumina) mandata dei uelut optimus agnus.  
Verba (que) iusticie fertile pectus alant &c.*

Ad calcem de suo addidit extemporalis Librarius:

*Explicit hic carmen dicatur ab omnibus Amen.  
Post scriptum librum scriptor digne bibe uinum.*

DCXXXVII.

68 Codex, membraneus lat. Sec. XV. Folior. 212. f. per duas co-

lumnas caractere luculento exaratus et rubricatus complectitur XI. Opuscula ascetica, quorum Elenchus fol. 1. proffat. Primum inscri-